

igne perseverantem. Nota quod principia huius rei sunt duo scilicet materia et agens. Materia autem est argentum viuum & sulphur seu arsenicum quod idem est. Notandum quod Philosophi dicunt, quod istud argentum viuum & sulphur super quod fundat natura suam actionem & operationem, est argentum viuum, & sulphur deductum seu pro-

*Natura de
quea aqua
nostra.*

ductum ad aliquam naturam aqueam, subtilissimam, clarissimam, albissimam & amantissimam, quam philosophi vocant argentum viuum, & ad quandam terream materiam subtilissimam, quam vocant sulphur, per artificium, quod philosophi mirabiliter occultauerunt. Est autem istud argentum viuum & istud sulphur vna res, & de vna re exit. Quia vna res sit patet, quod philosophi nominant dictum argentum viuum sulphur, et dictum sulphur argentum viuum. Vnde Geber: Est lapis vnus, medicina vna, in quo totum magisterium consistit. Secundum est agens, vnde agens mouens ipsam materiam ad corruptionem est calor, qui est instrumentum mouens ad corruptionem. Et non est aliud agens in mundo. Omne corpus passibile reducitur ad sui primam materiam, per operationes suae naturae contrarias, quod prima materia

*Quomodo
fiat prima
materia.*

est argentum viuum, cum ipsum sit oleum omnium liquabilium & ductibilium. Materia autem prima metallorum est vapor vnctuosus, vtriusque natu-

h